

No. 1004. 1451. 5. Apr.

*Testament des Bischofs Johann IV. Hofmann zu Meissen.*

In nomine s. et ind. trin. etc. Ego Johannes episcopus Misnensis diem mortis testamento meo more christiani hominis praevenire volens imprimis commendo animam meam, quando eam ad beneplacitum et voluntatem altissimi ab hac luce migrare contigerit, in manus dei omnipotentis beatissimaeque matri Mariae, sanctisque Donato, Johanni evangelistae, Jeronymo et electae viduae s. Hedewigi patronis meis cum supplicatione humili atque devota, quatenus solutis poenarum vinculis ipsam ad requiem conducere dignentur aeternam. Posthaec corpus meum terrae, ex qua factum est, sepeliendum, et si me in hac diocesi mea mori contigerit, volo quod corpus meum ad ecclesiam meam Misnensem tumulandum ducatur et iuxta consuetudinem alterius circa sepulturam episcoporum et aliorum praelatorum habitam pulveribus tradatur. De rebus autem meis mihi a deo collatis volo, quod fiat dispositio secundum modum et ordinem infra describendum, et per testamentarios meos ac ultimae voluntatis executores distribuantur. Et ut huiusmodi mei testamenti magis expedita fiat executio, eligo constituo pronuntio in testamentarios meos et ultimae voluntatis executores venerabiles et circumspectos viros dominos et magistros Caspar de Schonenberg decanum ecclesiae nostrae Misnensis, Johannem Swofheim decretorum doctorem, canonicum Merseburgensis et Budissinensis ecclesiarum et Theodericum Kundige ecclesiae nostrae praedictae vasallum, petens et requirens eosdem tanquam fratres mihi inter alios magis familiares, ut in executione huiusmodi testamenti mei sint clari prudentes atque fideles, faciantque de meis prout ipsi fieri vellent de suis, super quibus scilicet diligentia et fidelitate suas eorum conscientias onero praesentis scripti testimonio absque tamen ulla de eis diffidentia. Facta electione et constitutione testamentariorum meorum et executorum ultimae voluntatis meae devotione sinceriori, qua possum, in visceribus Jesu Christi humiliter supplico omnibus hominibus cuiuscunque status dignitatis conditionis et eminentiae consistant, quatenus ipsi aut alter eorum nullum praestare debeant directe vel indirecte huic testamento aliquod impedimentum, quominus hoc testamentum meum debitae valeat executioni demandari. Si quis autem quovismodo impedimentum — praestare praesumpserit — divinae ultioni obligatus remanebit. Volo autem et protestor, quod hoc testamentum meum efficaciam habere debeat et valere iure testamenti ultimae voluntatis meae ac ratione sive iure donationis post mortem aut iure codicillorum quorumcunque canonice aut legaliter conscriptorum, aut iure cuiuscunque donationis valeat. Protestor etiam, quod ad huiusmodi testamentum meum faciendum plenum atque expressum habeo capituli mei Misnensis consensum, quem quidem consensum expressum domini de capitulo meo Misnensi per organum magistri Johannis Schwofheim tunc officialis curiae meae et vicarii in spiritualibus nunciaverunt. Protestor etiam, quod debita mea in litibus et controversiis cum vicinis habitis contracta singula sunt soluta et ea, quae per me fuerunt inpignorata aut alias obligata, singula sunt reempta, imo plura sunt reempta, quae per antecessores meos